

rem perbelle intelligerent, vel forsitan magnum exinde emolumentum cepissent, vnde etiam tandem in misellos decoctores redacti sunt. Tam diu enim soluerunt, donec omneis ipsorum fortunæ atque bona liquefacta, & in fauillas redacta fuerint: & tam diu quoque sublimarunt, donec ollæ & athena per fumarium euolarint, atque tam diu putrifecerunt, donec ipsorum vestimenta, ipsis etiam in corporibus, putrifacta fuerint, & tam diu denique calcinarunt, donec omnia eorum ligna & carbones in cineres commutati fuerint.

Et hæc, frater mi, ipsorum est vtilitas & lucrum, quod magno labore & molestia consecuti sunt: Quapropter adhuc semel tibi exemplo fient, & abstineas, quæso, à labore isto sophistico: non enim recta via ad veram Alchimiam artem, aut ad veram metallorum transmutationem, est, sed solummodo, veluti & antea diximus, via ad sophismata est, quibus tonsores balneatoresque medicamenta sua præparare, & lucellum exinde aliquod captare possunt. Deprehendis insuper quot rerum imperiti homines ad Alchimiam sese conferant, vtpote Sutores, Pelliones, Sarctores, alijque, fidem qui se fellerunt, mercatores & cereuisiarij, qui, magna imperitia, aliquot annis in carbonaria sese excruciant, & ad metallorum transmutationem nihil conducibile reperiunt: ideoque magnos sese medicos temere profitentur, atque verbis sesquipedalibus gloriosisque verbis aureos montes, multorumque morborum curationes pollicentur, quos tamen ipsi minime intelligunt: imprudenter QUID pro QVO, VENENA pro MEDICAMENTIS porrigunt, quibus multos homines ad orcum mittunt, & coram

Deo